



Universitätsbibliothek Paderborn

Praxis Episcopalis

In Qva Episcoporum Non Tantvm, Eorumqve Vicariorum munus; sed
Parochorum etiam & conscientiarum directorium concernentium casuum
ac dubiorum indies occurrentium Resolvtiones ... quàm brevissimè
continentur

Zerola, Tommaso

Coloniae Agrippinae, 1680

Confessores.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10421

gnitione, ita fac. Congreg. declarat. 239.

Quartò, an Episcopus de consensu patroni possit facere Ecclesiam patronam collegiatam, vide remissivè, Gem. in c. statutum, ver. nunquid, de elect. lib. 6.

Quintò, an sit de necessitate collegii ut habeat caput? Respondetur primò, quod non caput speciale, sed bene caput generale, ut Episcopus, & Papa. Secundò, quòd potest habere caput eligibile per ipsum singulis annis, prout Beneventi collegiata sancti Spiritus eligit singulis annis Abbatem, Decanum, Primitivarium, & alibi, ita Innoc. in c. cum non, de preb. Gem. in c. statutum, de elect. lib. 6. *juxta finem.*

CONFESSORES.

SUMMARIUM.

- 1 A quo approbandi sint Confessores.
- 2 An semel approbati possint iterum examinari.
- 3 Quae interrogationes sint iis faciendae in examine.
- 4 An regularis debeat habere licentiam ad hoc specialem à suo superiori.
- 5 Qui possint admitti ad confessiones audiendas.
- 6 An per totam diocesim, etiam Regulares admitti possint.
- 7 An sacerdos, cui diminuta est potestas per Episcopum, possit recurrere ad Superiorem.
- 8 Quid faciet Confessarius quando absolvet poenitentem sibi confessum ab aliquibus peccatis, vel censuris, à quibus non habebat facultatem absolvendi.

AD primum. Conc. Trident. sess. 23. cap. 15. de reformatio. statuit, ut nullus Sacerdos possit audire confessionem saecularium, etiam Sacerdotum sine licentia Ordinarii. Nec obstat Bulla Pii V. 135. fol. 1131. ubi volebat, hoc posse regulares absque licentia Ordinarii. Primò, quia eam ipsemet dum viveret, quoad illam clausulam, revocavit *Bulla sua* 38. fol. 982. Secundò, quia eam Gregor. XIII. in totum revocavit, reducens eam ad terminos juris communis, *Bulla sua* 15. fol. 1208. & sac. Congreg. declarat. 254. ita censuit; *Nullus praterquam Episcopus, potest se intromittere in his quae spectant ad approbandum Sacerdote sacrae confessionis ministros, imò juxta gloss. in Clem. dudum, de sepult. in versic. se praesentare, dicit quòd se debent praesentare personaliter coram locorum Ordinariis, Navar. capitulo 27. numero 261. sed non est verum, quòd ipsemet dicat ibidem numero 202. notab. 3. per Doctor. sac. Concil. sed si Episcopus nollet sine causa Regularem praesentatum admittere, posset adire Metropolitanum, juxta notata per Covar. pract. quest. cap. 10. numero 1. ver. eadem ratione, & si non adesset Metropolitanus, posset adire dominum Papam, seu sac. Congreg. Episcoporum, juxta notata per Decis. Rot. 4. de iure patron. in novis. & Selva. 3. par. quest. 64. num 3. quod dixi de praesentatione personali sensibus corporeis, hoc est arbitrium Ordinario, eo vel maxime, quando ei constat de idoneitate, bonitate & sufficientia illius quem vult admittere, & approbare ad sacras confessiones audiendas, prout in simili dicit Abb. in c. cum parati,*

parati, de appell. col. 1. & Selva 3. par. quest. 1. num. 6. q. 11. num. 45.

Ad secundum. Adest declarat. sac. Congreg. numero. 307. in hæc verba, *Fratres mendicantes semel examinati, & idonei reperti pro confessionibus audiendis, non debent iterum ab eodem Ordinario, nec etiam per successorem examinari, & idem confirmat Navar. loc. cit. numero 203. notab. 4.* tamen hoc debet intelligi. Primò, quando ille Regularis sic examinatus, fuit approbatus undequaque, id est, in totum, ut quia sufficiens & idoneus repertus fuit in examine, quoad omnes interrogationes; secus verò, quando fuisset admissus ad tēpus, & ideo sac. Congr. dixit, *idonei reperti*, quæ idoneitas debet sumi in potiori significatu, *cap. pen. de sent. excommunicat.* & hoc valida ratione approbatur: nam ponamus, quòd Ordinarius admitteret aliquem Regularem ad officium sacræ Confessionis, examinando eum solum super circumstantiis peccatorum, & confessionis, & non super aliis, non ideo potest dici, quòd hic sit sufficienter examinatus, & idoneus repertus, quia remanent aliæ interrogationes faciendæ necessariæ, prout dicam ad tertium §. vide Anan. in cap. *accepimus*, n. 6. de *atate & qualitate*. Fallit primò, quando Regularis esset notus ipsi Ordinario, & sibi constaret de ejus sufficientia, prout dixi *superius*. Secundo, quando Ordinarius edicto publico propter aliquas causas suã mentem mōventes suspenderet omnes Confessarios suæ diœcesis, & sic vult examinare omnes, & quos reperit idoneos, ad id muneris admittere, facit *capit. ut animarum*, &

ibi Scribentes, *de constit. libro sexto*, & *gl. in cap. si. de offic. ordin. versic. statuta*. Tertio, fallit in illo, qui fuit semel præsentatus, & idoneus, ut sup. repertus, & pro tali approbatus, & postea discederet à diœcesi illius, à quo approbatus fuit, & inde ad eandē diœcesim redierit, quia tunc non indigeret alia approbatione, Navar. *cap. 27. n. 263. notab. 4.* licet quando traxerit longam moram, ut puta, per annum, debeat se præsentare coram Ordinario, potest enim esse, ut interim ille Regularis suspensus sit à suo superiori, prout dicam *ad 4. §.* faciunt etiam quæ dicit Angel. in *ver. confessio*, 3. num. 29.

Ad tertium. Dico principaliter pro nunc, quòd debeant examinari. Primò, super circumstantiis peccatorum. Secundo, quot modis sit reiteranda confessio. Tertio, de conditionibus, quas debet habere Confessarius. Quarto, de forma sacramenti pœnitentiæ, quæ omnia dicam in *versic. circumstantia*, & reperies apud Doctores, Navar. *cap. 6. & cap. 9.* Soto. *4. sent. dist. 18. quest. 2. art. 4.* Sylv. in *ver. Confessor, & confessio*, & proponere aliquot casus magis practicabiles.

Ad quartum. Respondetur, quòd debent locorum Ordinarii videre quando volunt dare licentiam alicui Regulari, vel etiam seculari ignoto, an habeant licentiam à suis superioribus, Regulares à suo Generali, vel provinciali, & seculares à suis Episcopis, & licentiæ istæ sint recentes, prout dixi in *ver. predicatores*, & pro hiis vide Angel. in *ver. Confessio* 3. num. 29. Adrian. in *4. sent. tract. de Conf. q. 5.* Flor. Theol. *4. sent. tract. de Conf. art. penult.*

penult. col. 249. ubi concludit, quod si Regularis audiret confessionem ex sola licentia Ordinarii sine licentia sui Prælati, peccat contra obedientiam, & hoc admonuit Illustrissimus Cardinalis Paleottus in *institutionibus sue Synodi diocæsana Bononiensis*, ut non admittantur Regulares, ad audiendas sacras confessiones, nisi habeant ad hoc à suis superioribus licentiam specialem. Facit quod notat Gemin. Joan. And. & reliqui in *c. si religiosus, per illum tex. in ver. quero, an quilibet, de elect. l. 6. & qua dixi in pract. mea pœnit. c. 16. q. 7. & melius q. 8. versi. dico tertio.*

Ad quintum. Vide Navar. in *Manuali. cap. 4. Sylvest. in sum. ver. Confessor, 3. n. 2. ver. quantum verò, &c.* & in summa concluditur, quod sciens quæ dixi hic ad tertium §. potest tolerari, secus verò non, & in Constitutionibus ordinum Carmelitanorum, 1. par. c. 10. & p. 5. cap. 11. ponitur excommunicatio Papalis contra Religiosos ejusdem ordinis, si administraverint Sacramenta secularibus extra sua claustra, sine licentia curatorum,

Ad sextum. Ang. *loco cit. in 4. sent. fol. 247.* dicit, religiosos præsentatos & approbatos ab ordinario, posse per totam illius diocæsiam audire confessiones, per *Clem. dudum, §. statnuimus, de sepult. sed intelligi debet* quando in licentia concessa non arctaretur facultas, ut solum in Ecclesia sui monasterii, vel etiam in oppido ubi est monasterium, quia *Clem. loc. cit. ait ut de eorum licentia, & gratia, & beneplacito in civitatibus, & diocæsibus eorundem, &c.* ad eò, quod nisi

adsit licentia, gratia & beneplacitum Ordinarium, non possent, nisi in locis sibi concessis, quamvis in licentiis solet apponi in Ecclesiis suorum monasteriorum, & extrâ, cum licentia parochi, quod est optimum, ad hoc ut parochi sciant infirmos suæ parochiæ, & quinam administrarent Sacramenta in parochia sua, tum, quia onus animarum ad se pertinet, tum ut adimpleant, quæ præcipiuntur, ut in *cap. cum infirmitas, de pœnit. & remiss. & Bulla Pii V. quest. 3. fol. 923.* cætera vide in *ver. absolutio.*

Ad septimum. Vide Abb. in *c. Deus, qui, num. 5. de pœn. & remiss.* & hic est alius casus, quo à suffraganeis potest recurri ad Metropolitanum,

Ad octavum. Respondetur quod procuratâ, & habitâ facultate super hoc à prælato, absolvat suum pœnitentem præsentaliter, si commodè fieri poterit, si minus, in absentia, ita Sylvest. in *ver. Confessor, 3. §. 1. Navar. cap. 14. notab. 13.* Ratio est quia absolutio est tantæ virtutis, quod etiam se extendit in absentia, sicuti virtualiter ad peccata oblita, ita *Sot. in 4. sent. tract. de pœnit.* Verùm, id olim quidem, sed non æquè hodie, id si quidem est correctum per Decretum sacrosanctæ Congregationis sancti officii tempore Clementis VIII factum.

CASUS RESERVATI.

SUMMARIUM.

- 1 Quotuplex sit.
- 2 An possint pro libito locorum Ordinarii sibi plures paucioresque reservare.

3 Quo-